



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Catharina V. & M. 25. Novembr.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

crificio Jesu christi. Sub noctem ad calculum te vocato. Vide, an paratus esses ad reddendam rationem. Vide, utrùm, quæ possides, jure tua sint: sine mora dispone domui tuæ. Quid prodest pecunia, si pereat anima? *pereat mundi lucrum, ne fiat anima detrimentum?* August.

**S. CATHARINA V. & M.**

25. Novembr.

*Dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri.*

Christus Luc. cap. 21.

**P**Alladem Christianam damus, Catharinam inquam, fortissimam Virginem & sanctorum Musarum dignissimam Præsidentem, non Ægide aut hastâ mendaci, sed rotâ fractâ & lacteo gladio formosam. Ausa est hæc una ex omni Alexandria Diis sacrificantem Maximinum interpellare, stultitiæque propalâam arguere, quin captiva cum quinquagenis Philosophis pro Christo in arenam descendere. Et facti sunt tot viri à Virgine se victos, & in flammâ abjecti, manus Deo, & palmam Catharinæ dederunt. Illuc Catharina etiam Imperatricem, quæ ad vincitâam inviserat, carce-

Y 3

rique



rique præfectum Porphyrium cum suis præ-  
 misit. Ipsa ultima cum Tyranno commissa  
 primas tamen abstulit. Nam carceris tene-  
 bras cur non suspexisset, in quibus præsentem  
 illi licuit Christum aspicere? jam verbera ac  
 plagas faciliè tulit, cum idem, ut promiserat,  
 robur suppeditaret. Negatum verò undecim  
 ipsos dies cibum potumq; etiam contempsit,  
 cum commeatus è cælo suppeteret. Quid? In-  
 geniosam in tormenta rotam, velut melior  
 fortuna calcavit. Denique virum (ut nobilis  
 ævi nostri Poëta ait) credidisses, nisi cum ca-  
 put ensis abstulit, Virginem lac, quod pro  
 sanguine fluxit, prodidisset. Meruit tanta vir-  
 tus ab Angelis in Monte Sina tumulari, & è  
 tumulo hodie etiam Catharina oleum terris  
 dividit; ut quod de sua Pallade finxit anti-  
 quitas, de nostra sine mendacio possimus affir-  
 mare. *Ex Metaphr.*

M E D I T A T I O.

*De vita S. Catharina.*

1. **A**B infantia suam Christo vovit virginitatem,  
 quam ut illibatam servaret, carnificis rotam,  
 folio Imperatoris longè anteposuit. O virtus suavissi-  
 ma? qua amici Jesu, filii Mariæ & similes Angelis su-  
 mus, & in terra cæli felicitatem prægustamus.

2. S. Catharina Virginum & Doctorum laurea do-  
 nata



nata est, utpote, quæ fidem docuerit, philosophos  
 vicerit, & reduxerit quam plurimos ad ovile Iesu Chri-  
 sti. Memineris, quod Deus scientiarum Dominus est. à  
 quo Catharina hausit scientiam. Tu qui diurno, no-  
 cturnoque studio tum corporis tum animi vires dete-  
 ris, ascende ad scientiarum fontem, Postula sapien-  
 tiam à Domino, & dabit affluenter. Verùm si quàm  
 Deus tibi scientiam dederit, eà uti debes ad tuam ip-  
 sius & aliorum salutem. An huc spectant vigiliæ tuæ?

3. Tertiam coronam adeptæ est, cum caput præbuit  
 carnifici; poterat quidem feliciorẽ vitam ducere,  
 quoniam pulchritudine, nobilitate, divitiis, ingenio  
 præstabat, & ejus nuptias ambiebat imperator; ea  
 tamen omnia flocci facit, ut moriatur pro Christo.  
 Tu verò, si cupis Martyrum coronam donari, macera  
 corpus, resiste voluptari, & avaritiæ, despice mundum:  
*nam carnem afflixisse, libidinem superasse, avaritiã restitisse;*  
*de mundo triumphasse, pars magna Martyrii.* August.

## S. CONRADUS Confessor

26. Novembr.

*Ego sum via, veritas, & vita. Ne-  
 mo venit ad Patrem, nisi per me.*

Christus Ioan. cap. 14.

CONRADUS Infulam Constantiensem acce-  
 pit à D. Udalrico Augustanorum Præsule.  
 Fuit cum uterque coenam frugalem san-  
 ctis

Y 4

ctis